

1708
QK.192. (30) D. Jo. Keani

De Doctrina Lutken de fide iustitie etc.

YC
6218

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
FESTUM
REFORMATIONIS
LUTHERI
IN VIGILIIS OMNIUM SANCTORUM
PIE AC DEVOTE CELEBRANDUM
INTIMAT.

1844 III

1844

1844

1844

Handwritten text, possibly a title or date, mostly illegible due to fading.





Illum beneficium divinum, quod ex Reformatione LUTHERI, cujus memoriam hodie celebramus, in Ecclesias nostras redundavit, attentissima consideratione dignum censi debet, sane id orthodoxa explicatio Articuli de FIDE VERA, nos unice justificante atque salvante, est. Hanc enim doctrinam, summe necessariam, si quis Reformationis ipsum caput, apicem ipsum seu verticem dixerit, neutiquam errabit. *Hic sane Articulus de justitia fidei, ut Philippus Melanchthon in Apologia Aug. Conf. testatur, a) præcipuus locus est in tota doctrina Christiana, qui recte intellectus illustrat & amplificat honorem Christi, & affert necessariam & uberrimam consolationem piis conscientibus. Id quod etiam Lutherus suo testimonio confirmavit: b) Si unicus, inquit, hic Articulus sincerus permanferit, etiam Ecclesia, sincera, concors, & sine omnibus sectis permanet; sin vero corrumpitur, impossibile est, ut uni errori aut fanatico spiritui recte obviam iri possit. Et de hoc Articulo D. Apostolus præcipue loquitur, cum scribit: c) Paulum fermenti totam consper- sionem fermentat. Non equidem multis jam attingam mala, a quibus liberata per hanc doctrinam fidei Ecclesia fuit: quæ nec adversarii Romanenses inficiari audent. Audiamus ex pluribus Valerianum Magnum, nominatissimum illum Capuccinum, qui d)*

A 2

Fate-

a) f. 60. b) Tom. V. Jen. f. 159. Conf. LL. Symbol. f. 688. c) Gal. V, 9.

d) Sub initium Judicii defensi de regula credendi Catholicorum.

*Fateor, ait, fuisse sub finem superioris seculi (XVI. sc.) cur homo amans boni publici voluisset reformari apud nos pleraque. Fuerat ea tempestate Catechismus Christiana plebi rarus, ignorantia frequentior, mores in populo corrupti usque ad orbis scandalum. Infederat animis ex inscientia illa frequens superstitio in cultu Sanctorum, in veneratione sacrarum imaginum, in devotione erga Sanctorum reliquias. Invaserant plerosque Ecclesiasticorum, ambitio, simonia, pompa, delicia, questus etiam ex jurisdictione Ecclesiastica, gravis populo Christiano. Ipse indulgentiae a privatis Ecclesiasticis saepius trahi videbantur in nundinas. Omnes! O tempora! Ut aliorum confessiones, querelas, atque desideria nunc taceam. * At enim desiderii huiusmodi cum totus Christianus orbis tacite congemeret sub iugo Romano, ipsaque Germania indulgentiarum diluvio ante omnium oculos fere submergeretur, nemo tamen repertus est, qui liberationem ab istis malis, & libertatem vere Evangelicam, ex sola fide in Christum proficiscentem, vel optare saltem sciret. Ne ipse quidem Lutherus ab initio Reformationis rem istam intellexit, donec per varios casus, per tot discrimina rerum, ex Evangelio Spiritus S. lumine gradatim irradiatus didicit. Nam obsecro tantorum malorum, quibus oppressa erat Christi Ecclesia, quae causa praecipua? Dominatus nimirum Papae tyrannicus, & tam immanis auctoritas, ut nefas creditu esset, eam posse labi, errare ac decipi: Quo fiebat, ut Pontifex, tanquam Dominus fidei & conscientiarum, ipsiusque leges & decreta, articulorum fidei loco, necessaria haberentur. Quam tantam tyrannidem augebat Scripturae S. hominibus erepta usurpatione, ut praeter Dominicales pericopas, nihil in cuiusquam manibus relinqueretur. Illa vero crudelitate profus Anti-Christiana, qua Credenda atque Agenda ab hominis pendebant arbitrio, vertique adeo ima summis poterant, quid truculentius, quid pestilentius unquam fuit Ecclesiae? praesertim cum a Diabolo, tenebrarum principe, crassa obscuratum caligi-*

* *Vid. Christian. Korholtum Tractat. de Processu disputandi Papistico s. IV. V. VI.*

ligine, nec non deletum funditus fuerit Evangelium: quando
justificationem in dilectione ac bonis operibus, nescio quibus, mi-
 ferrimi homines ponebant, quando ad eludendas Scripturas fin-
 gebant distinctionem, quod aliter de *congruo*, aliter de *condigno*
 mererentur homines, quando nihil de fide *justifica* tradebant:
 illis vero omnibus gloriam evertebant Christi, & mediatoris of-
 ficium, animisque humanis dubitationes meras atque ipsam in-
 duebant desperationem. *Justitia* quid esset *coram DEO nostra*,
 totus orbis ignorabat, non nisi de *philosophica* edoctus, rationis
 corruptæ filia, & viribus mere humanis innixa, ex quibus diligi
 DEUM satis superque posse credebat. Ubi verò LUTHERUS,
 commiserente DEO, cognovit, per *justitiam*, que in *Evangelio*
revelatur, e) non aliam nisi *ex fide justitiam* intelligi, fatetur, se
 prorsus *renatum* sensisse, sibi que hunc Pauli locum *vere portam su-*
isse paradisi, unde confestim alia ipsi facies totius Scripturæ ap-
 paruerit. §) Sic, uno quasi ictu proffigatis tenebris, universus
 per ipsum mundus tam manifesta luce, quæ scaturigo vitæ æter-
 næ est, donatus fuit, ut quæ credebatur ante a nobis requiri ju-
 stitia, tantum in fide ac merito Christi nobis imputando, posita
 esse observaretur: qua non agnita, pereundum cum nostra, id
 est nulla omnino, fuerat justitia. Nec tamen fidem justifica-
 tionem in vana aliqua persuasionem, sine operibus bonis; nec justi-
 ficationem in fructibus hisce fidei constituere oportebat. Itaque
 ex utroque latere hic pugnandum sibi Lutherus videns, nihil re-
 generationis & renovationis, aut hinc necessario consequentis
 sanctimonix, necessitati detractum: neque huic sive internæ sive
 externæ de salutis causa tributum quicquam voluit. Notatu di-
 gna sunt verba, quibus ad Brentium alicubi usus est: η) *Ego so-*
leo, mi Brenti, ut hanc rem melius capiam, sic imaginari, quasi nulla
sit in corde meo qualitas, que fides vel charitas vocetur, sed in lo-
cum illarum pono ipsum Christum, & dico: Hæc est justitia mea, ipse

A 3

est

ε) Rom. I, 17. §) Præf. Tom. I. Jen. Lat. η) Exam. in Conflictis Theolog. Phil.
 Melancthon. f. 246. 247.

est qualitas, & formalis, ut vocant, *Justitia mea, ut sic me liberem* & expediam ab intuitu legis & operum: Imo ab intuitu objectivi istius Christi, qui vel doctor vel donator intelligitur. Sed volo ipsum mihi esse donum & doctrinam per se, ut omnia in ipso habeam, sicut dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Non dicit: ego do tibi viam, veritatem, & vitam, quasi extra me positus operetur in me alia. In me debet esse, manere, vivere, loqui mecum: Item ad Corinthios: ut essemus *justitia DEI in illo, non in dilectione, aut donis sequentibus*. Si quis igitur Evangelii instauratam lucem in hoc, juxta externum verborum sonum, satis recte ponat, quod salus obtinenda per fidem sit, nullam vero aliam requirat fidem, quam notitiam historicam, quam assensum mere theoreticum, quam fiduciam quomodocunque conceptam; numquid cum fidei salvificæ naturam habere explicatam satis judicabimus? Non id fecerimus sane, ex Scriptura, & Confessione Augustana, ejusque Apologia scientes, fidem justificantem non esse, nisi opus sit Spiritus S. & supra naturam in corde hominis vere poenitentis per Evangelium excitatum, quo liberentur a morte, quo erigantur & vivificentur perterrefactæ mentes: neque ita vivificam posse cum peccato mortali existere, neque alia remissionem peccatorum accipi: Scientes vero & hoc, fidem istam non ut opus quoddam, sed Christum ipsum ex promissionibus Evangelicis veracordis fiducia apprehensum, omnes, qui ipsius meritum unice amplectuntur, recipere benigne, suæque justitia vestire coram Patre, pronunciante eos justos, ut donentur vita æterna, non modo illa futura, sed jam tum per fidem inchoata: quæ pariat spirituales motus in cordibus & habeat nova opera, novos affectus, timorem, dilectionem DEI, odium concupiscentiæ pravi. Non satis igitur est nosse, quod sola fide justificemur, hoc est, remissionem peccatorum consequamur propter Christum, nisi etiam noverimus, *que & qualis sit illa fides justificans: quomodo existat in poenitentia, * hoc est, virtute Spiritus S. per Evangelium concipiatur*

piatur in terroribus conscientiae : quomodo & a maledictione & a coactione, dominioque legis & peccati hominem vere liberet : quomodo lex deinde per eam magis magisque fieri possit : quomodo tandem quod facimus secundum legem DEO placeat. Ista enim qui ignoraverit, non tantum veritatem non defendere, sed nec fidem possidere veram, neque vivere ex ea, quam non teneat, neque terrorem aut vim legis infringere, neque boni quicquam patrare, neque salutis certitudinem habere ullo modo potest. Talem in Christum fidem Lutheri ministerio redintegratam nobis ipse commendat in *Præfatione* vere aurea in *Epistola ad Romanos*, quæ utinam! omnium cordibus inscripta sit, uti omnibus majorum editionum Bibliis Germanicis, & libris nostris Symbolicis θ) inserta reperitur: *Fides, inquit, non est humana opinio & somnium, quæ aliqui fidem esse autumant: cumque vident, nullam emendationem vitæ & bona opera sequi, interim de fide plurimum audiunt & loqui sciunt, in eum incidunt errorem, ut dicant, non sufficere fidem, operibus opus esse, ut justus & saluus fias. Hoc inde est, cum Evangelium audiunt, eo prolabuntur, & ex propriis viribus in corde cogitationem sibi formant, quæ dicit, CREDO. Hanc veram fidem esse sibi imaginantur. Verum, uti humanum est commentum & cogitatio, quam fundus cordis non sentit; ita nihil efficit, neque sequitur emendatio. Fides vero divinum plane in nobis opus est, quod nos immutat, ex DEO regenerat, veterem Adamum mortificat, & ex nobis plane alios homines (in corde, animo, & omnibus viribus nostris) facit, & Spiritum S. nobis confert. Et est fides illa quiddam vivum, efficax, potens: ita ut fieri non possit, quin semper bona operetur. Neque fides querit demum, an bona opera sint facienda? sed priusquam de ea re inquiratur, jam multa bona opera effecit, & semper in agendo est occupata. Qui vero non ad hunc modum bene operatur, is homo vera fide caret, & ubi sit fides, ubi bona opera, quasi cæcus palpando queritat, neque tamen, quid fides aut bona opera sint, novit. Interim sane multa inepta de fide &*

bonis

θ) *Vid. Sol. Declar. Form. Cont. f. 701.*

bonis operibus garrit & nugatur. Quam longe vero, proh DEUM
immortalem! ab hac Lutheri doctrina de fide justificante disce-
dit nova Theologia illorum, qui docent: fidem hanc non esse ex ope-
ratione ac illuminatione Spiritus S. nec Scripturam nos ducere ad Chri-
stum, qui sit intra, sed extra nos: nec fidem vivam, quæ per chari-
tatem efficax, aut operosa, sive practica est, nos justificare: fidem
etiam, quæ nos non immutet, aliosque homines cordibus, men-
tibus, animis, & omnibus viribus efficiat, veram tamen & sal-
vificam fidem esse: imo, quod auditu horrendum est, fidem ju-
stificam cum peccatis mortalibus consistere posse: nec per illam a ve-
tere homine dominium peccati auferri: reformatum ex plena scientia
& voluntate peccare: in eo non esse novam indolem, novam lucem &
virtutem ex DEO. Et quæ sunt hujus generis *aversura* *Populi*
alia plurima. Ita nempe Theoria Praxi communi, & hæc impia
doctrina, ex corruptæ carnis sensu hausta, impiæ nostrorum
hominum rationi credendi atque vivendi egregie respondet:
apud quos in peccatis regnantibus viventes, adeoque Spiritus S.
& consequenter veræ fidei incapaces indubium est, non aliam
fidem esse posse, quam quæ revera talis sit humana persuasio.
Quot reperiuntur enim in Ecclesiis Evangelicis homines, quo-
rum vita manifeste Christianismi debito adversatur, ut nec ipsi
negare audeant, eam in omnibus a regulis Christi deviare, abs-
que ullo proposito posthac longe aliam ingrediendi viam, quæ
tamen nihilo secius firmissima sunt fiducia, istam salutem suam non
obstituram esse vitam. Si interrogas, quo hæc ipsorum fiducia fun-
damento nitatur? apparebit, nec ipsimet diffitebuntur, eo se niti,
quia ex nostra salutem acquirere vita non sit necesse: Se vero
in Christum credere, & omni in ipsum fiducia recumbere, & ex
hac fide sua salutem certissime secuturam. Ita carnalem fidei
imaginationem (cum utique sine Spiritu S. fides divina; ille vero
cum peccatis proæreticis atque regnantibus, simul esse nequeat)
fidem salvificam credunt & nuncupant. Quæ fraus Diaboli adeo
horrenda est, atque unquam ullus fuit aut esse potest error, cere-
brino

brino securi hominis commento salutem adscribere. Ah! quam aliter venerandi nostri Majores, genuini LUTHERI sectatores de fide iustifica censuerunt. Quis eorum non exhorruit decretum Concilii Tridentini, quod Canone XXVIII legitur: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Ita caput XV inscribitur: *quolibet peccato mortali amitti gratiam, sed non fidem.* Et in eodem: *fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, ceterosque omnes, qui letalia committunt peccata, fideles esse ac manere posse, agnoscunt.* Quod rectius incredibile dixeris paradoxon, quam Bellarminus pronunciauit de *Articulo IV Aug. Conf.* Sed numquid ovum ovo similius esse potest, quam hæc Conciliabuli doctrina est Theologiæ supra memoratæ? nisi quod hæc illa adhuc deterior esse videatur, quod impios ac profanos homines non tantum vera fide præditos; sed & regni DEI hæredes per fidem illam non vivam futuros esse pronunciet: quos tamen Tridentini a regno DEI recte excludunt. Neque opus est multis confutare istos, quibus fidei vis ac indoles prorsus ignota est, (cujus nullum unquam sensum vel gustum habuerunt) donec ipsi veros conscientiaæ terrores experiantur, qui soli docere possunt, quam charum depositum nobis a DEO LUTHERI ministerio sit redditum in doctrina de fide iustifica pie ac orthodoxe tradita, utpote quæ fides Spiritum S. adfert, ac vitam novam, & cum peccato mortali haudquaquam stare potest. Fatemur utique, in rigoroso DEI iudicio hominem nullo modo justificari ex *operibus*, vel *antecedentibus*, quæ legis opera dicuntur propter concionem legis; vel *comitantibus fidem*, ut sunt ipsi motus fidei interni, qui tantum abest, ut iustificent, ut potius sint ipsius hominis testimonia, quibus fatetur, se non esse *εργαζόμενον*, confidentem in ullis operibus, sed fide confugere ad solum Christi meritum, ut tanquam impius, sed vere poenitens & credens, ex eo iustificetur; vel *consequentibus*, qui fidei iustificantis fructus sunt. Et longe a nobis absit, ut ab hac doctrina vel la-

B

tum

tum digitum declinemus. Quia vitam & quicquid seculum habet, perdere præstaret, quam ex illius veritate quicquam remittere. Sed nec licebit nobis transversum, ut ajunt, unguem discedere a recta explicatione veræ fidei, prout in Libris nostris Symbolicis continetur. Ita enim Apologia de fide in Christum nos justificante: *α) Cum autem de tali fide loquamur, quæ non est otiosa cogitatio, sed quæ a morte liberat, & novam vitam in cordibus parit, & est opus Spiritus S. NON STAT CVM PECCATO MORTALI, sed tantisper, dum adest, bonos fructus parit.* Et paulo inferius: *λ) Neque vero hæc fides est otiosa notitia, NEC POTEST STARE CUM PECCATO MORTALI, sed est opus Spiritus S. quo liberamur a morte, quo eriguntur & vivificantur perterrefactæ mentes. Et quia SOLA HÆC FIDES accipit remissionem peccatorum, & reddit nos acceptos DEO, & affert Spiritum S. rectius vocari gratia gratum faciens poterat, quam effectus sequens, videlicet dilectio. Et in Respons. ad argumenta adversariorum: † Ex his liquet, non a versari nobis Jacobum, qui, cum otiosas & securas mentes, quæ somniabant, se habere fidem, cum non haberent, vituperaret, distinxit inter mortuam ac vivam fidem. Mortuam ait esse, quæ non parit bona opera: Vivam ait esse, quæ parit bona opera. Porro nos sæpe jam ostendimus, quid appellemus fidem. Non enim loquimur de otiosa notitia, qualis est etiam in Diabolis; sed de fide, quæ resistit terroribus conscientie, quæ erigit & consolatur perterrefacta corda. Talis fides neque facilis res est, neque humana, sed divina potentia, qua vivificamur, qua Diabolum & mortem vincimus. Hæc fides, cum sit nova vita, necessario parit novos motus & opera. Ideo Jacobus recte negat, nos tali fide justificari, quæ est sine operibus. Notatu quoq; dignissima sunt verba, quæ sequuntur: *μ) Hæc fides, de qua loquimur, EXISTIT IN POENITENTIA, & inter bona opera, inter tentationes & pericula confirmari & crescere debet, ut subinde apud nos statuamus, quod DEUS propter Christum respiciat nos, ignoscat nobis, exaudiat nos. Hæc non discuntur sine magnis & multis certaminibus. Quare * fides illa, quæ accipit remissionem peccatorum in corde perterrefacto & fugiente peccatum, non potest**

*α) f. 71. λ) 82. †) 108. 109. μ) f. 133. 134. *) f. 86.*

potest existere in his, qui secundum carnem vivunt, nec manet in illis, qui delectantur cupiditatibus suis & obtemperant iis: nec existit **CUM MORTALI PECCATO**. Eadem traduntur in Declar. Form. Concord. Art. de bonis operibus. v) *Ha propositiones (bona opera esse necessaria: & necesse esse bene agere) retinende omnino atque urgenda sunt ad redarguendam atque refutandam securitatis Epicurea opinionem, qua multi FIDEM MORTUAM aut PERSVASIONEM QUANDAM VANAM, qua sine poenitentia & bonis operibus est, pro vera fide falso habent: quasi scilicet in uno eodemque corde simul stare possint vera fides, & malum propositum in peccatis perseverandi & progrediendi: quod tamen prorsus est IMPOSSIBILE: aut, quasi aliquis veram fidem, justitiam & salutem habere ac retinere valeat, etiamsi arbor putrida & infrugifera sit, maneatque, neque ullos bonos fructus ferat: imo, quamvis in peccatis contra conscientiam perseveret, aut rursus destinata malitia in scelera priora relabatur. Hac FALSA & IMPIA sunt! Addimus & hæc, quæ paulo post sequuntur: ξ) Et quidem imprimis falsa & Epicurea illa opinio graviter redarguenda atque rejicienda est, quod quidam fingunt, fidem & acceptam justitiam atque salutem non posse ullis peccatis aut sceleribus (tamen si omnino VOLUNTARIE ET DESTINATA MALITIA MALA OPERA PERPETRENTUR), sed etiamsi homo absque omni DEItimore & pudore pravis suis concupiscentiis indulgeat, Spiritui S. repugnet, & atrocita flagitia contra conscientiam suam (& quidem MALO PROPOSITO) designet, nihilominus tamen fidem, gratiam DEI, justitiam atque salutem retineri posse. Contra hanc pestilentissimam persuasionem singulari diligentia hæc verissime ac immota divina comminationes, poenæ & admonitiones Christianis per fidem justificatis saepe repetende atque inculcanda sunt: Nolite errare! neque fornicarii, neque adulteri, neque avari, regnum DEI possidebunt. Et alibi: qui talia agunt, regnum DEI non consequentur. Et ad Romanos: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Item: propter talia venit ira DEI super filios incredulitatis. Mitto nunc hujus generis plura a-*

Q. 46218 X 2856394

lia, in libris nostris Symbolicis passim obvia. Si quis ergo (loquimur cum Apostolo o) diversam docet doctrinam, neque accedit fanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei qua secundum pietatem est doctrina; is inflatus est, nihil sciens, sed insaniens circa quaestiones ac pugnas de verbis: ex quibus nascitur invidia, lis maledicentia, suspiciones mala, perversa exercitationes hominum mente corruptorum, & qui privati sunt veritate: abscede ab iis, qui ejusmodi sunt! Tu vero, O DEUS exercituum! restitue nos, & fac, ut luceat facies tua: ita servabimur! Vitem tuam, (Ecclesiam) ex Papatu Romano per LUTHERUM transtuleras, ut plantares eam in Saxonia nostra in primis: fecerasque ut ageret radices suas & impleret terram; operiebantur montes umbra ejus, & palmitum ejus cedri maxima: emittebat ramus suos usque ad mare. Quare perrupisti macerias ejus, ut carpant eam omnes viatores: suffodiat etiam porcus sylvestris, & animal agreste depascat eam? O DEUS exercituum, revertere jam, intueri e caelis & respice, ac visita vitem hanc & surculum, quem plantaverat dextra tua: idque propter Filium tuum unigenitum, quem fortificasti tibi. Adsit manus tua Viro dextrae tuae, Filio hominis Jesu Christo. Jehovah DEUS exercituum, restitue nos, fac, ut luceat facies tua: ita servabimur! (x)

Hoc ut a DEO quotidie supplici voce rogamus atque precamur; ita pietatis ac devotionis, quin & gratitudinis nostrae publicum interpretem esse iussimus *Elegantioris ingenii atque eruditionis exasciatae juvenem* Dn. M. JOHANNEM MATTHAUM WAGNERUM *Curiensem, Theologiae Candidatum dignissimum*, qui e suggestu templi Paulini docte a se elaboratam Orationem *de Saxonia per LUTHERUM Tyrannide Pontificia exempta, & salvifica DEI cognitione* (i. e. vera fide in CHRISTUM) *imbuta*, habebit. Ad quam audiendam ut UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES, AC CIVES NOSTRI, benevole adesse, & ex Sacello Nicolaitano haud illibenter nos eo comitari velint, est quod officiose ac perhumaniter contendimus, certoque expectamus. P. P. ipsa Reformationis Festivalis die Prid. Calend.

Novembr. Ao. Sal. MDCCIV.


a) 1. Tim. VI, 3. 4. 5. * P/sal. XXC, 8 - 20.

LIPSIÆ,

Literis CHRISTOPH. FLEISCHERL

M. C.





1708

DK.192. (30) D. Jo. Alearii

De Doctrina Lutheri de fide iustificatione.

YC
6218

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
FESTUM
REFORMATIONIS
LUTHERI
IN VIGILIIS OMNIUM SANCTORUM
PIE AC DEVOTE CELEBRANDUM
INTIMAT.